Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2573
Quelle:
Copyright:

XXVII. *fol.* 207. *Incipit speculum peccatorum.* Additum alia manu: *Henrici de Hassia.* Initium: *Quoniam karissimi in via huius seculi fugientis sumus dies nostri sicut vmbra pretereunt* &c. *Cod.* DXCII. retulimus illud *Augustino* perperam inscriptum; sed neque *Henrici Hassi* esse videtur, cujus nomen nimium liberaliter ignorantes Scribae Tractatibus asceticis adposuere, unde saltem manifesta fit Viri celebritas.

XXVIII. *fol.* 212. p. 2. Sequuntur Quaedam ad Concilium *Constantiense* pertinentia, et primum: *Questio proposita coram Dominis Iudicibus fidei per Reverendissimum in christo patrem dominum Episcopum Atrebatensem die IV. mensis augusti Anno domini M°. CCCC°. XVII°.* &c. *Martinus* is *Poreus* fuit ex Ord. Praed. adsumtus et ad Concilium *Johannis Burgundiae* Ducis Legatus, acerque ibi *Gersonii* in caussa caedis Ducis *Aurelianensis* a *Burgundo* jussae adversarius. Adi de Eo, et memorata caussa Collectionem *Hardtianam*, *Gersonii* Opp. T. II. *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 777. *Galliae Christ.* T. III. p. 341. Quaestio porro ea est: *Vtrum quilibet christianus ex professione facta in baptismo teneatur indispensabiliter sub pena dampnacionis eterne fidem katholicam defendere et ejus aduersarios usque ad mortis interitum persequi.* In responso figitur generalis haec regula: *Omnis doctrina suadens iubens uel approbans occisionem hominis cuiuscunque sub pretextu uel heresis uel tyrannidis uel alterius criminis non incluso sufficienter aut etiam excluso diuino Iuris ordine censenda est hereticalis, implicare contradictionem et iudicio fidei reprobanda.* Quaestionem hanc excipit alia: *Vtrum procurantes quod absque expresso consensu sacri concilij procedatur ad electionem futuri summi pontificis ex quo certum est ex protestacionibus iam factis et ex multis alijs verisimilibus causis quod si hoc fiat nouum scisma exoriretur in ecclesia dei, tales sint censendi perturbatores concilij autores et fautores scismatum ac vehementer de heresi suspecti?* Respondetur adfirmando. Tertio quaeritur: *Vtrum reformacio ecclesie in capite sit sufficiens et efficax caussa quare debeat differri electio summi pontificis, vsquequo illa fuerit debite consummata?* Et rursus adfirmatur. Demum quaeritur: *Vtrum eadem sit caussa sufficiens quare debeat differri eciam tractatus super modo et forma future electionis.* Id quoque adfirmatur. Succedit mox *Exhortacio ad regem Romanorum* (Sigismundum) *in concilio Constanc.* Hortatur Anonymus, ut nolit desistere a procuranda pace Ecclesiae, neque fidat fucatis coloribus et dolosis colloquiis. Initium: *Serenissime* &c. *Grandia siquidem audio de tua mira et digna commendacione extollenda prudencia* &c. Exhortationem hanc excipiunt Literae Sequentes: I. *Sigismundi* Imp. Literae Securitatis affixae *Constantiae* pro futura Pontificis electione. Incipiunt: *Sigismundus dei gratia* &c. *Sane cum facta huic*